

## APPENDIX.

## II

Goteboldus Patriarcha sedit annis XVII. qui etiam de Gradensi plebe proclamavit: & tam per Alexandrum II. quam per Henricum Imperatorem III. dicta plebs adjudicata est: & per utrosque super XVI. Episcopatus praedictos, & de Regalibus data potestas. Hic construxit Monasterium S. Stephani de Aquilegia, in quo erant Canonicí regulares, nunc autem seculares. Huic etiam concessit, & dedit dictus Imperator Ducatum Forojulii, & Marchiam Istriæ, & multa alia largitus. Super ejus monumentum in Aquilegia hi versus scripti sunt:

*Hic Goteboldus jacet miser in monumento (a)  
Hic Presul dictus nomine, non merito.  
Sed quia mortalis me peior non erat ullus,  
Christe Fili miserere mei.  
A morte perpetua libera Domine.  
Crux mibi sit requies,  
Et crux mibi sancta salus.*

Ravongerus Patriarcha sedit annis IV. (b)  
Sigardus Patriarcha sedit annis IX. (c) Huic  
Henricus III. dedit Marchiam Carniolæ, & multa alia privilegia concessit, & concessa per alios confirmavit. Et Urbanus Papa II. ea omnia confirmavit circa annos Domini M. LXXXIX. (d)

Henricus Patriarcha sedit annis VI. (e)

Federicus Patriarcha sedit anno I. (f)

Vodalricus Patriarcha sedit annis XXXVII. (g)

Hic cum Henrico Imperatore IV. Romanum vadens pro ipsius coronatione, propter discordiam quæ erat inter Paschalem Papam & ipsum Henricum, Paschalis capitul: & dicto Vodalrico traditur custodiens; cui idem Vodalricus non sicut custos, sed sicut humilis servus famulabatur. Tandem factis compositionibus, Henricus coronatur: & procurante eodem Patriarcha, pax firma inter Imperatorem, & Papam facta est. Propter quod tam a Papa, quam ab Imperatore gratias multas obtinuit.

Gerardus Patriarcha sedit annis IX. Hic de villa Premiaci juxta Civitatem Austriam ortus, apud eamdem plenus bonis operibus migravit ad Christum.

Pelegrinus Patriarcha sedit annis XXXI. Tempore ictius (h) Honorius II. Papa fuit in Aquilegia. Hujus etiam tempore a Papa Innocentio II. coronatur Lotarius Imperator: cui coronationi interfuit idem Pelegrinus, & de Regalibus fuit ab ipso Imperatore solemniter investitus. (i)

Gotofredus sedit annis (k) XII. Hic de regali prosapia ortus, Ecclesiam suam mira prudentia gubernavit.

Vodalricus II. sedit annis XX. (l) Qui legatus Apostolica Sede factus, Federici I. consanguineus, tam ab Adriano IV. quam Alexandro III. confirmationes privilegiorum obtinuit. Huic dictus Federicus omnia privilegia imperialia & regalia confirmans, Marchiam Istriæ, & Carniolæ Ducatum, & Comitatum Forojulii, & multa alia loca & Castræ, & terram inter Plavim & Liquentiam jacentem concessit, & per alios concessa confirmavit. Dedit etiam eidem Patriarchæ & Ecclesiae Aqui-

legensi Montem silicis cum omnibus suis appendicis. Et post reconciliationem factam inter Alexandrum III. & Imperatorem, fecit idem Imperator dictum Vodalricum Patriarcham per totam Italiam suum Vicarium generalem. Hic duplum habuit legationem. Jacet in Aquilegia, in cuius monumento infrascripti versus sunt:

*Alter Volricus jacet hic Patriarcha benignus.  
Fluctibus illæsam schismatis Ecclesiam  
Rexit, ditavit; Fratres hos ipse beavit:  
Cum justis maneat, gaudia possideat. (m)*

Peregrinus II. (n) sedit annis XIV. (o) Iste fecit multa bona Ecclesiis, & inter alia reparavit Ecclesiam Civitatensem, & decoravit multis cœnodiis, & fecit Tabulam argenteam valde pulchram in dicta Ecclesia, verum mirabilem in Ecclesia Aquilegensi, quæ per Pastorum incuriam post longum tempus fuit Venetis pignorata, quam ipsi Veneti hodie pro pretioso fervant thesauro. Iste primo cœpit amicitiam contrahere cum Venetis.

Volkerus sedit annis XIII. (p) Hic ab Henrico V. & Ottone IV. confirmationes privilegiorum obtinuit, & coram eis, & coram Federico II. Marchionatum Istriæ.

## IV.

Chronicon tertium Patriarcharum Aquilejenium, Volcheri, & successorum.

V Olcherus Patriarcha sedit annis XIII. (q) Hic ab Henrico V. & Ottone IV. confirmationes privilegiorum obtinuit; & coram eis, & coram Federico II. Marchionatum Istriæ, quem Dux Bavariae Ludovicus nomine tenebat, per sententiam Principum obtinuit: & resignatione facta per ipsum Ducem de hujusmodi Marchionatu, per omnes Imperatores praedictos dictus Patriarcha successive investitus est. Cui etiam dictus Otto Montem silicis concessit, & dedit. Hic multa sanctitatis opera in vita sua fecit, quæ Deus post ejus obitum demonstravit. Nam ejus tumba marmorea in Ecclesia Aquilegensi in aere diu pependit circumquaque quatuor digitis super terram. Adhuc solum in uno angulo modicum tangit de terra, & alii tres anguli minime tangunt. Hic etiam dicitur, quod Mater ejus veniens visitare, & reperiens eum mortuum dixit, *Heu fili mi, quid mibi das ut mecum portem;* & elevavit brachium, & Mater sua accepit & secum portavit.

Bertholdus Patriarcha sedit annis XXIII. (r) Ducus Meraniae filius fuit, & frater Reginæ Ungariae Matris S. Elisabeth Langraviae. Hic Archiepiscopus Colcen. existens, est in Patriarcham assumptus. Qui Federico II. adhærens, & favens usque ad ipsius depositionem, honores multos & privilegia pro Ecclesia obtinuit ab eodem. Et multa bona idem Patriarcha cum patre, & matre Ecclesiae contulit de ipsorum patrimonio, & specialiter in Karinthia, Carniola, & Marchia: Et etiam frater ipsius Patriarchæ omnia jura, quæ

hoc anno, tum decennio ante, Ecclesiam Dei regebat Urbanus II. (e) Apud Murat. & Menses VI. (f) Ibidem, & Menses VI. (g) Ibidem, & Menses VII. dies VII. (h) Apud Muratorium, Henricus II. perperam. (i) Apud Murat. sequitur Peregrinus Patriarcha II. cui sedis anni viginti tribuntur. De serie Patriarcharum delendus est. (K) Apud Murat. annis XXII. (l) Apud Murat. & Menses VII. dies VII. (m) Apud Murat. gaudia multa habeat. (n) Apud Muratorium, Peregrinus tertius. (o) & Menses septem, dies III. (p) Apud Murat. & Menses VII. (q) Apud Murat. & Menses VII. (r) Apud Murat. & Menses IV.

(a) Apud Murat. Hoc ego Goteboldus jaceo miser in Monumento, Heic Presul dictus nomine, non merito.  
Sed quia mortalis me peior non erat ullus,  
Fili Christe Dei, nunc miserere mei.  
Ora pro famulo, Sancta Maria, tuo.  
Perpetua a morte libera me, Domina,  
Crux mibi sit requies, crux mibi sancta salus.

(b) Apud Murat. menses X. dies XVIII. de quo nihil reperiatur. (c) Apud Murat. annis IX. Menses IV.... Henricus Quartus. (d) Apud Murat. annos Domini M. XC VIII. Tum